



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Quæst. I. An, & quæ Confessio requiratur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

184 P. 3. De Jubilæo extraordinario.
nium, possunt tamen dare eleēmosy-
nam: quia habent usum cum faculta-
te liberâ transferendi dominium, &
alienandi; quod sufficit ad veram da-
tionem eleēmosynæ n. 117.

S E C T I O VII.
DE CONFESSIOE ET COM-
MUNIONE

Q U A E S T. I. An, & quæ Confessio re-
quiratur?

R E S P. I. Si lucraturus Jubilæum,
non sit conscius peccati mortalis; ex
communiori sententiâ S. Antonini p.
1. tit. 10. c. 3. §. 5. Paludani, Navarri
Notab. 18. n. 18. Suarez disp. 52. sect. 4.
Bellarmini De Indulg. l. 1. c. 13. Lessii
De Indulg. c. 6. dub. 5. Benzoni, Filliu-
cii, Coninck, Layman, & aliorum
innumerorum, inquit Lugo n. 100,
quos congerunt & sequuntur Diana
p. 1. tr. De Bulla Cruciate, R. 107. Abel-
ly Episcopus Ruthenensis De Indulg.
sect. 3. n. 3. Bonacina q. 1. pu 5. n. 7. &c.
non requiritur confessio.

Ratio

S. 7. De Confessione & Commun. 185

Ratio est: Quia usus Ecclesiæ habet, ut, quando præscribit confessionem, intelligat confessionem mortalium, ut constat ex Cap. *Omnis utriusque Sexus*, De Pœnit. & Remiss. in quo utique non præcipitur nisi confessio mortalium; ut etiam declarat Conc. Trid. Sess. 4. c. 5.

Igitur Confessio pro Jubilæo non requiritur per se, sicut Communio; sed velut medicina & dispositio ad statum gratiæ, & ad fructuosam Communionem. Et Papa loqui videtur (ait Laurentius Portel Dub. Regular. v. *Indulgentia n. 6.*) suppositivè, si scilicet indiget confessione, ut major pars Fidelium semper indiget.

Nihilominus tutius omninò est, confiteri, etiamsi nullius novi peccati mortalis habeatur conscientia; cum illam confessionem ut conditionem, adeoq; necessariam, requirant non pauci; ut Emm. Rodriguez Sum. c. 184, n. 12. Sanchez De Matrîm. l. 8. disp. 15. n. 19. Zechius De Indulg. c. 2. Fernandez
Nun-

186. P. 3. De jubileo extraordinario.

Nuñus, & alii apud Dianam *suprà*, Gobatum n. 158. Et hoc etiam laudent Filliucius & alii, inter quos sic loquitur Henriquez l. 7. c. 12. n. 2. Tutius est confiteri saltem aliquod veniale: Indulgentiæ enim sunt explicanda ut sonant; & Papa videtur inducere ad confessionem supererogationis: ut tutiori remedio in gratiâ constitutus impetret finem, ob quem conceditur Indulgentia.

R. 2. Non sufficit confessio sacrilega, uti nec sufficit communio sacrilega. Et de hoc utroque, nulla jam potest esse dubitatio, quidquid aliqui olim contrarium docuerint. Alexander siquidem VII. damnavit hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ: & Innocentius XI. hanc: Præcepto Communionis annuæ satisfacit per sacrilegam Domini manducationem.*

Nempe Ecclesia requirit Confessionem & Communionem, quales præcepit & requirit Christus Dominus: Christus autem præcepit & requirit

requirit Confessionem & Communionem bonas & fructuosas, & non sacrilegas. Accedit, quod per Confessionem & Communionem sacrilegas non obtineatur finis à Pontifice intentus, scilicet plena cum Deo reconciliatio & conjunctio.

Non est autem idem de Confessione informi, (ait Suarez to. 4. disp. 52. sect. 3. n. 6. fine) si alioqui valida sit: nam, cum ista sit vera confessio, sufficit ad effectum consequenda Indulgentia, dummodò postea, eo nimirum tempore, quo effectus Indulgentia obtinendus est, homo jam sit gratiam consecutus, vel per contritionem, vel per aliud Sacramentum.

Sed, Quid, si quis ex invincibili facti vel juris ignorantia putet se esse legitime confessum; cum tamen, aliqua de causa ipsi ignota, confessio non valeret; vel haberet aliqua peccata, quae tamen citra peccatum, nondum fuit confessus: obrineretne ille Indulgentiam?

Respondent obtenturum Navarrus Notab. 18. n. 15. & cum eo Zecchius De Indulg. c. 3. n. 4 & cum Benzoni Lorichius

188 P. 3. De Jubilæo extraordinario.

Lorichius v. *Jubilæus Annus* n. 21. Nec videtur multum dissentire Suarez *sect. 4.* si attentè legatur.

Idem, propter ejusdem Navarri authoritatem, Henriquez *l. 7. c. 10. ad Litt. n. Emm.* Rodriquez, Fernandez, & alii, apud Simonem Pourré *p. 2. c. 1. n. 10.* consentientem, & Gobatum *n. 159.* non improbantem, dicunt de eo, qui vel non potuit confiteri, vel bonâ fide existimavit non requiri confessionem, vel confessus est quidem legitimè, sed tamen ob Confessarii improbitatem erroremve alium, absolutus non est.

Confirmari potest hæc opinio ex præsumpta Pontificis voluntate; ut in simili semel atque iterum loquitur Emm. Rodriquez *Sum. p. 1. c. 184.* dicens, secundum Glossam quandam communiter receptam, debere teneri pro lege, quod verisimiliter Legislator responderet interrogatus.

R. 3 Si Bulla concederet Indulgentiam verè pœnitentibus, seu, contritis, & confessis, non requirens Communionem.

munitionem, ut solet concedere Bulla Jubilæi Anni Sancti; censent quidem S. Antoninus *sup.* §. 5. Navarrus *Notab.* 18. Bellarminus, Zecchius, Lessius *n.* 48. Layman. *c.* 6. *n.* 7. Abelly, & alii cum Adriano, Cajetano, Cordubâ, & c. requiri confessionem mortalium, si quæ habeat lucraturus. At Paludanus, Gerson, Panormitanus, Angelus, Silvester *v. Indulg.* *n.* 20. & alii apud eundem Bellarminum & alios, existimant sufficere contritionem cum proposito confitendi tempore debito secundum Ecclesiæ præceptum; aut, secundum aliquos, cum confessione prius etiã longo tempore factâ ante statum novum in mortali.

Suarez *disp.* illâ 52. *sect.* 4. *n.* 12. & *seqq.* posteriorem quidem Paludani, Gersonis, & aliorum sententiam existimat probabilem; existimat tamen ipse probabiliùs verba illa, *contritis & confessis*, accipienda esse non copulativim, sed divisim & distributivè, id est, tam contritis, nempe contritione perfectâ, quàm confessis.

Et hanc Suarezii sententiam;
pro-

probabilissimam merito existimal
 Castropalao pu. 9. n. 22. Gobat n.
 254. secutus tamen num. preced. eos
 qui requirunt actualem confessio-
 nem. Certè particula & potest, &
 sæpè solet accipi distributivè, sicut
 accipitur ex. gr. in Bullâ Cœnæ §.
 14. ubi dicitur: *Excommunicamus Can-*
cellarios, & Consiliarios Regum, &c.
 Et Pontifex verbis illis, non videtur
 aliam dispositionem exigere, quàm
 quæ necessaria est, ut thesaurum Ec-
 clesiæ applicare possit. Ista autem
 dispositio haberi potest tam per con-
 tritionem perfectam, quàm per con-
 fessionem actualem,

Suadendum tamen, ut addatur
 confessio actualis, ut etiam monet Sil-
 vester *supr.* Quia, inquit, plerumq; homi-
 nes, maximè seculares, credunt se contri-
 tos, & tamen non sunt contriti: qui per
 confessionem, de attritis fiunt contriti.
 Quod ultimum dictum non sic intelli-
 gendum est, quasi per Sacramentum
 Attritio fiat Contritio, scilicet per-
 fecta; (hoc enim impossibile est;

cum attritio & contritio sint actus
specie distincti) sed quòd, positâ at-
tritione cum Sacramento, obtineatur
justificatio, sicut fuisset obtenta per
contritionem: & sic Sacramentum
facit de attrito contritum, non quo-
ad rem, sed quoad effectum.

Nota autem, etiam in scientiâ
exigente actualem confessionem,
non exigere Pontificem contritio-
nem necessariò perfectam, copula-
tim cum Sacramento; sed conten-
tum esse contritione qualicumque,
modò ea cum Sacramento sufficiens
sit ad justificationem; qualis est at-
tritio, quæ à Conc. Tridentino dici-
tur contritio imperfecta, non quòd
non sit vera & propria species contri-
tionis à se recensitæ *cap. 3.* inter par-
tes essentielles Sacramenti Pœniten-
tiæ, & *cap. 4.* definitæ ac divisæ; sed
quòd imperfecta sit respectivè ad il-
lam contritionis speciem, quæ chari-
tate formata est. Sic brutum est per-
fectè animal, licèt imperfectum re-
spectivè ad hominem.